



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Cap. XXXI. De Temperantia. Quantum illi conferat Verecundia. De Abstinencia & Castitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

monstrabit. Ab hoc capere utilitatem satage, & consule salutem tuam. Attentiùs seipsum circumspicit, qui paratum sibi novit censorem, & adversarium.

7. Perseverantia virtutum omnium corona, & consummatio est. Inchoantibus præmium promittitur, sed datur perseverantibus. Ideo ante omnia hoc cura, ut constes tibi. Nihil tam utile est, quod in transitu proficit: Retrò relaberis, si ad ulteriora non contendis: & si incipis stare, descendis. Constitue quid velis, & in eo usque ad exitum persevera. Inconstantis animi est, novas quotidie exercitationes assumere, novas subinde sibi quærere sedes. Non alibi sis oportet, sed alius. Planta quæ sæpius transfertur, tandem arescit: & remediorum crebra mutatio impedit sanitatem. Si Apostolus vas electionis non attendens quid ante fecisset, sed quid facere deberet, nequaquam se comprehensisse arbitratur: quid tibi faciendum erit, cui optabile foret, ut posses in fine tuo illius principio comparari? Ardor literarum nullâ ætate extinguitur, divitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit bonorum cupido. Res finem habituræ sine fine quæruntur: divinam verò sapientiam si vel leviter degustaveris, continuo te saturum esse putabis. Aliter te ad perfectionem invitat qui dixit, *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Hæc meta tibi proponitur, ut locum semper superesse scias incremento virtutis tuæ.

C A P. XXXI. *De Temperantia. Quantum illi conferat Verecundia. De Abstinencia & Castitate.*

1. **T**emperantia voluptatibus imperat, quæ ex gustu & tactu percipiuntur: adscititias & superfluas odit & abigit, necessariis obsequitur, quantum recta ratio permittit. Ejus regula infallibilis est, solam necessitatem in his, quæ ad corpus spectant, pro mensura habere: nec unquam ad voluptates propter ipsas accedere. Hæc virtute efficitur, ne ex homine in jumentum labaris.



Ad eam plurimum confert Verecundia frænum pravorum motuum, bonæ indolis index, custos puritatis, testis innocentia. Si mentem tuam illa possideat, docebit te omnem timere turpitudinem, ab omni actu illicito abstinere, Dei præsentiam venerari, te ipsum ubique revereri, eamque semper diligere intelligentiæ pulchritudinem, quæ in operibus temperantiæ maximè elucet. Porro tunc verecundum te esse dignosces, cum vel ad ipsum intemperantiæ nomen expavesces; cum te parietes tui regent, non abscondent, quos plerique circumdatos sibi credunt, non ut tutius vivant, sed ut peccent occultius. Quid autem prodest recondere te, & oculos hominum auresque vitare? Tecum semper est Deus, qui ubique te videt: tecum conscientia, quæ ubique te accusat.

2. Usus cibi & potûs abstinentia, & sobrietas: quæ vero ad tactum pertinent, Castitas & Pudicitia moderantur. Et in usu quidem ciborum difficillimum est extra metas necessitatis non abripi. Venter præcepta non audit: poscit, appellat, & quotidianum tributum exigit. Sed quàm parvo dimitti possit, quàm modicâ stipe contentus sit, nemo recogitat. Cogimus vitiis servire naturam, famemque & sitim, quæ naturalibus remediis facile sedari possunt, variis eduliis & potionibus irritamus. Castitas quoque ardua est inter tot libidinis incentiva; nisi ea compescat timor Dei, occasionum fuga, sensuum custodia, & maxima sui ipsius reverentia. Qui seipsum non veretur, nec alios vereri poterit. Vis castus esse? contine oculos, ne invitus ames, quæ incautè aspexisti. Quid fugacem & falsam creaturæ pulchritudinem admiraris? Expecta paulisper, & jam non erit. Serenam frontem squalentes arabunt rugæ, mœsta teget nubes oculorum faces, dentium ebur scaber obducet situs. Fuge etiam pravorum consortium, omnem mollitiem vita, carnem jejuniis doma, & durius tracta. Perit, qui nimium est amans sui sepulchri.